B. N. C.
FIRENZE
1076
2

1076-2

XXXVII
A.N. de Or. Cong
S. Salv. FLOR.
1807

B I

MIRABILIS ORIGO CONGREGATIONIS PRESBYTERORVM S. SALVATORIS SEV IESV PEREGRINI MAIORIS NVNCVPATÆ

1076
2

Ex vetuſto ipſius Congregationis
Libro deſumpta.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

FLORENTIÆ MDCLXXXVII.

Ex Typographia ſub Signo STELLÆ.
Superiorum Permiſſu.

1076.2

ANNO Milleſimo Centeſimo Trigeſimo primo Sacerdos quidam Vallis Peſæ, nomine Amadæus, ob negocia quædam Florentiam ſe conferens, cum ea die efficere non potuiſſet ea, quorum cauſa in vrbem venerat, noctu in diuerſoriam domum, quæ propè ſancti Petri Scharadij ædem

ſita erat, cum Clerico ſuo ſeſe recepit. Cum poſt cænam in lectum ambo ſe contuliſſent, ecce quidam non ſine ſtrepitu cum Meretrice in lectum ſe conijciunt: ibi impudica verba, ac facta exercent. At Sacerdos Clerico ſuo magis, quàm ſibi timens, quàmprimùm hæc percepit, è lecto deſilit, & Clericum deſilire iubet; atque ille intempeſta nocte propè paruulum igniculum manet; ibi pernoctans, cum lacrymis Diuinum Officium dicebat, atque orabat in corde ſuo Deum, vt locum aliquem parare dignaretur Florentiæ, in quo aduenæ Sacerdotes honeſtè ſeſe nocturnis horis recipere, & quieſcere poſſent. Dum hæc orabat, iam adueniente diluculo aliquantulum ſomnus illi ad

ignem obrepſit. Dormienti autem Dominus Ieſus in Peregrini effigie apparens, ita locutus eſt: Honeſtas preces tuas exaudiui: Quàmprimùm dies apparebit, vade ad Eccleſiam ſanctæ Cæciliæ, quę non procul hinc ſita eſt, & eius Eccleſiæ Sacerdoti, omnia, quæ tibi in diuerſoria domo euenere, & viſionem iſtam, ac verba mea enarra: atque his dictis abijt viſio. Amadæus iuſſa Domini noſtri Ieſu Chriſti executus eſt. Sanctæ autem Cæciliæ Sacerdos, qui approbatus vitæ, ac famæ erat, his auditis, & celebrata Miſſa, ad Abbatiam, quæ Florentiæ propè Palatium Prætoris ſita eſt, cum Amadæo ſe contulit ad Abbatem Azonem, virum probitate, ac fama inſignem; eique,

Ama-

unt, hanc ob cauſam ibamus ad te, neſcij quidem ante habitæ apparitionis; ſed nunc admirandæ rei ſymbolum agnoſcimus. Audies, quæ enarrabit Amadæus. Narrauit ille, vti in diuerſoria domo impudicitijs offenſus noctem inſomnem inter lacrymas, ac ſuſpiria, orando ad igniculum duxerit: Vti ſomno occupatus Dominum Ieſum in ea effigie, quam ille narrauerat, conſpexerit dicentem, eius à ſe preces exauditas, & vt ſanctæ Cæciliæ Sacerdoti rem geſtam referret; ſe retuliſſe, ductum ab eo ad Azonem, huc cum illis perueniſſe: Non eſſe dubium, voluiſſe Dominum Ieſum, ſe accipere ab Epiſcopo teſtimonium, ac fidem, ſe non fuiſſe illuſum; Verè Domi-

 num

num exaudiſſe orationes ſuas. Quamobrem Ioannes Epiſcopus hac enarratione confirmatus, iuſſa Domini executus eſt. Facto enim in Abbatia (quam diximus) eius auctoritate plurimorum Sacerdotum, & Eccleſiarum Rectorum conuentu, habita concione ſuper hac re, fuſis ad Deum multis precibus, conſtituti ſunt ſex Sacerdotes Eccleſiarum Florentiæ Rectores, qui Sacerdotes aduenas, ac peregrinos hoſpitio ſuſciperent. Rector ſancti Rufilli, ad Portam vrbis, quæ dicebatur Porta Domi, ideſt Cathedralis Eccleſiæ: Rector ſancti Petri Cælorum, ad vrbis portam, quæ dicebatur Porta s. Petri Maioris: Rector ſancti Florentij ad Portam, quæ dicebatur Porta s. Petri

Scharadij : Rector s. Petri Bonconſilij, ad Portam, quæ dicebatur Porta sancti Pancratij : Rector s. Luciæ ad Portam, quæ hodièque dicitur Porta Omnium Sanctorum : Rector s. Luciæ de Magnolis, ad Portam, quæ dicebatur Porta Burgi. Hi Singuli excipiebant hoſpitio aduenas Sacerdotes ruralium Eccleſiarum, qui pro negocijs ſuis Florentiam venientes ingrediebantur per eam Portam, ad quam ab Epiſcopo conſtituti fuerant. Ob hanc cauſam hi Rectores Portarij appellati ſunt : atque in hunc modum vnius Sacerdotis moleſtia, ac ſcandalum, Dei miſericordia, aliorum commoditati conſuluit. Exercebant igitur Portarij hęc pietatis, & hoſpitalitatis

adv opera,

opera. Interea verò Præſul Ioannes ſtationes in Eccleſijs Florentiæ bis in hebdomada facere aggreſſus eſt, quarta ſcilicet, & ſexta feria: Coactis enim ſecum vrbanis Presbyteris, nunc in vna Eccleſia, nunc in alia Miſſas celebrabant, quarta feria pro peccatis, feria ſexta ad honorem s. Crucis: multaſq; eleemoſynas ſuis ſumptibus erogabant incarceratis, puellis nubilibus, alijſque pauperibus. Adeòque propter hæc boni Paſtoris, & bonarum ouium pia opera, populus ad magnam deuotionem excitatus eſt. Itaque laicorum nonnulli diuitias ſuas huic ſancto Sacerdotum collegio committebant, pauperibus erogandas. Hoc modo & aduenæ Sacerdotes recepti, & ſtationes in

vrbe

vrbe celebratæ fuerunt annis du-
centis ferè, vſque ad annum ſalu-
tis Milleſimum trecenteſimum vn-
decimum. Quo anno Dominus Ie-
ſus iterum in Peregrini effigie,
vna, & eadem nocte, Antonio Vr-
ſo Florentiæ vrbis Epiſcopo, qui
paulò ante Feſulanam Eccleſiam
rexerat, & nonnullis Rectoribus
Florentinarum Eccleſiarum, qui in
illo ſancto Sacerdotum collegio an-
numerabantur, in ſomnis apparens
imperare viſus eſt, vt hoſpitalem
domum conderent ad Saluatoris
mundi honorem, eamq; DOMVM
DEI appellarent, in qua rurales,
atq; aduenæ Sacerdotes amore Dei
exciperentur. Quamobrem colla-
ta inter ſe viſione, ac iuſſu Domi-
ni, Epiſcopus cum alijs Sacerdoti-
bus

bus vrbis, fuſis ad Deum precibus, celebratis Miſſis, ac Proceſſionibus, emerunt libris pecuniarum mille ſexcentis quinquaginta agrum, in quo hoſpitalem domum cum Oratorio, quæ nunc s. Saluatoris nomine, à Collegij s. Saluatoris, Presbyteris habentur, ædificauerunt. Prefectos eius fabricæ conſtituerunt venerabiles Presbyteros, Ambroſium S. Laurentij Priorem, Vgolinum Eccleſiæ Apoſtolorum, Orlandum Eccleſiæ s. Cæciliæ Rectorem, & Amatum Oratorij s. Andreæ de Ripa. Abſoluto opere intra biennium, ideſt anno Chriſtianæ ſalutis Milleſimo trecenteſimo tertiodecimo, prima Dominica Auguſti, Epiſcopus idem primus in illo Oratorio Miſſam ſolemnem ce-

lebrauit, & ad populum, qui proceſſionaliter Epiſcopum ſecutus fuerat, ſermo ibidem habitus eſt, atque ab eo, die eodem, Oratorium conſecratum.

Hæc de vetuſto Congregationis noſtræ codice deſcripta nos docent, quanta diligentia aduigilandum eſt, ne à Saluatore noſtro conſtitutum opus malè tractemus: Maledictus enim homo qui opus Dei facit negligenter. Hoc autem à nobis non aliter fiet, niſi cum non nos ipſos neque commoditatem noſtram, ſed Deum ipſum iſtius Domus, & iſtius operis auctorem reſpexerimus; & cum oculos ad eius inſtituta conuerterimus: ille enim ad pietatis opera hanc domum ædificari voluit. Cauendum

dum eſt igitur in primis, vt talis Cappellanus eligatur, qualem pauperum Presbyterorum indigentia, & commoditas quærit: Nam ſi huic operi præfecerimus hominem inhumanum, aſperum, negligentem, & oblitum prioris charitatis, quæ à prioribus Patribus noſtris impendebatur, quibus Saluator ipſe ſuo ore præcepit hoc pietatis opus; non dubium eſt, non ſolùm pauperes, ſed Angelos, & ipſos lapides huius domus contra illos vindictam acclamaturos, qui huic impietati cauſam tribuerunt.

LAVS DEO

Imprimatur.

Nicolaus de Caſtellanis Vicarius Gener. Flor.

Imprimatur.

Fr. Cæſar Pallauicinus Vicarius Gener. S. Officij Florentiæ.

Robertus Pandolfinius.

1076. 2

99 95892 :88

17

1076. 2